

Ad Alphonsum clarissimum Aragonum et Sicilie Regem nova Samogij, ma-  
neti Magnorum moralium Aristotelis ad Theomachium preter traductio incipit.

**Q**uoniam de moribus tractare constituimus, prius  
considerandum duximus, cuius facultatis partes  
mores essent. Ut igitur breuiter dixerim non  
alterius quam cuius facultatis partes esse videntur.  
Nil enim in rebus civilibus agi contingit et  
potest sine probitate vite, quod studiosum esse appello.  
Studiosum autem eum esse dico, qui virtutes ha-  
beat. Siquis ergo in rebus civilibus idoneus futu-  
rus est, oportet ut secundum mores studiosus  
existat. Tractatus igitur qui circa mores versatur  
partem et principium ipsius civilis facultatis esse  
videtur. Mibi autem merito apparet, quod tractatus  
iste totam denominationem non moralem, sed  
civilem habeat. Oportet ergo ut videtur primum  
de virtutibus tractare, et quid sint, et ex quibus con-  
sistant. Nil enim fortasse prodesset virtutes co-  
gnoscere et quemadmodum et ex quibus consiste-  
rent ignorare. Non enim solum ut sciamus quid  
sint existimare, sed ex quibus consistant consi-  
derare oportet. Simul enim scire ac nos tales  
esse volumus, hoc autem efficere non possumus  
nisi sciamus, et ex quibus et quomodo consistant.  
Necessarium igitur est scire quid sit virtus, no-  
enim facile esset scire ex quibus et quomodo con-  
sisteret si quid ipsa esset ignoraremus, quemad-  
modum et in scientiis accidit. Nec vero nos latere  
oportet si qui primum de his ipsis tractauerunt.  
Primo ergo incepit Pythagoras de virtutibus

Studiosus



Pythagoras